

III. CORPORA INFLAMMABILIA MINERALIA.

Insipida haec, aqua non soluuntur, quae consueto atmosphaerae calore solida sunt, ignis vi facile funduntur, pondus specificum, si cum aliis mineralibus, potissimum metallicis, corporibus compares, exiguum prae se ferunt, facillime flammam capiunt, et fumum alia suaevolentem, alia graueolentem, aut nocentissimum eructant, carbones aut cineres alia, alia liquorem acidum deflagrando relinquunt. Plurima oleis praesertim vnguinosis facile soluuntur.

- I. *Ambra, Ambra grisea, Ambra maritima* (LINN. *Syst. nat. III. p. 283.*), si modo ad hoc naturae regnum spectat, neque potius (v. SCHWEDIAUER philosoph. Transact. Vol. LXXIII. for 1783. P. I. et DONADEI Medecine éclairée par la physique sq. II. n. 3. p. 75.) pro excrementis aluinis physeteris aegrotantis haberi debet, si genuina et bona sit, ex cinereo nigra frequentibusque punctis albis variegata, odoris ambrosiaci, fortissimi et tenacissimi, linguae sensationem imprimens nullam, nisi velis eam, quam olea vnguinosa excitant, fragilis quidem, dum friget, at manu calida tractata cerae instar tenax, acu candente pertusa succum quasi fundens, aquae bullienti superfusa olei instar superficiem eius tegens, et facillime in flammam exardescens, crebro offibus praesertim sepiae, lignorum testaceorumque
- K 2
- fragmen-

fragmentis, lapillis, arena contaminata, oryzae farina, succino, resinis vegetabilibus, benzoë, ladano, styrace, ipsa cera et pice adulterata, aut ex resinis suaueolentibus per artem composita, eo in casu spiritu vini soluenda, qui genuina, nisi intercedat sal causticum, vix tingitur, nedum dissoluere eam valet, quamuis calore bulliente adiutus: Genuina etiam ambra paucissimos post se relinquit cineres, multos adulterata. Optima ambra ad littus insularum, in oceano aethiopico et indico sitarum, praesertim Madagascar et Sumatra, rarius in Oceano septentrionali occurrit; ob frequentissimas eius adulterationes, insigne, quo venit, pretium, et vires viribus moschi similes, vix tamen pares, hodie minoris aestimata, quam olim (I. F. KLOBII historia ambrae. Vitemb. 1666. 4. G. W. WEDEL de ambra. Ienae. 1698. 4.).

Etsi fido experimento comprobari tributa quondam huic ambrae virtus vitam prolongandi (FR. BACON histoire de la vie et de la mort trad. par I. BAUDOIN. à Paris. 1647. 8. p. 229.), et vis aphrodisiaca (KAEMPFER amoenit. exotic. Lemgov. 1712. 4. fasc. 3. p. 618.) vix possit, quae praeter suauem multis odorem veteres permouit, vt pluribus eam medicamentis compositis ipsique succoladae adiiicerent, non tamen omnis in vnguentis pulueribusque odoratis, potissimum cypriis, consumitur; extra omnem dubitationis aleam positum est, ab eius vsu interno (si quidem drachmae dimidia pondere deglutiat) arteriarum pulsum plenior, celerior, fortior per

per horae spatium reddi, et, conspirante etiam aliorum medicorum experientia, neruos excitari torpidos, BOSWEL (apud CRANTZ mater. medic. et chir. Viennae aufr. 8. I. 1762. p. 146.), turbulentos atque agitatotos pacari, alii obseruarunt; putredini aduersari, PRINGLE (philos. Transact. l. c.); ita vel pulueris forma granorum trium quatuorue pondere saccharo permistum, vel essentia cum vini spiritu (FR. HOFFMANN observ. physico-chemic. selectior. I. p. 60.) ex ea parata, ad guttas decem vel viginti propinata in paralyfi, insultibus apoplexiae atque epilepsiae (FR. HOFFMANN medic. ration. system. IV. 3. p. 21.), palpitatione cordis (FR. HOFFMANN l. m. c. p. 294.), in singultu, vomituque nimis violento (ZACVTVS LVSTANVS opera. Lugdb. 1649. fol.), tussi, imprimis rheumatica (FR. HOFFMANN l. m. c. p. 386. CRATO DE KRAFTHEIM consilior. et epistolar. medicinal. Francof. 1591. 8. l. 37. p. 1039.), qui tamen posterior decocto passularum addi praecipit, atque eandem (*Ordnung oder Präseruation, wie man sich zur Zeit der Pest verwahren, wie die rechte Pest erkennt und curiert werden soll.* Breslau. 1555. 4.) pesti immixti confidenter opponit, opem tulit.

2. *Succinum, Succinum flauum, Succinum electricum* (LINN. *Syst. nat.* III. p. 282.), *Electrum, Carabe*, licet prima eius ex succo vegetabili origo hodiernum negari vix amplius possit, diuturna tamen in sinu telluris mora et continuo cum variis succis mineralibus contactu adeo immutatum est, vt haud parum ab indole refinae abludat; difficilime enim soluitur vini spiritu,

K 3

diffici-